

prædicant verbum, instando tempestive & intempe-
stive 2. Tim. IV, 2. Exinde dicuntur pastores, Act. XX, 28.
1. Pet. V, 2. De potestate autem episcopali legi me-
retur b. *Georgii Calixti* oratio de pontifice Romano,
qua anno 1614. Professionem Theologicam fuit auspi-
catus, nec non ejusdem exercitatio de visibili eccle-
siæ monarchia, anno 1644. edita.

§. III. Ego vero, missis disputationibus de po-
testate ecclesiastica, ne hanc Scyllam præternavigan-
do, in Charybdim incidens cum Fanaticis ad con-
temptum & plenariam everisionem sanctissimi ministerii
ecclesiastici declinem, nonnulla Fanaticorum dogmata
examinabo, quibus illi in hac doctrina contra certissi-
mum Dei verbum a publica Ecclesiarum nostrarum do-
ctrina discedunt. Incidit haud ita pridem in manus meas
epistolarum Theosophicarum volumen in quinque par-
tes divisum, hunc titulum præferens: *Erbaulige Theo-
sophische Sendschreiben eines in Gott getreuen Mit-
gliedes an der Gemeinschaft Jesu Christi unsers
Herrn / ehemals an seine vertraute Freunde ge-
schrieben und nun zum gemeinen Nutzen mit noch
3. Theilen vermehrt / in Druck gegeben von einigen
Unparteyischen. Gedruckt zu Bethulia im Jahr
1710.* Obtulit eas mihi non nemo, rogans, ut eas-
dem in mei ipsius ædificationem evolverem. Obse-
cutus sum precibus ejus, & postquam integra illa vo-
lumina perlegi, deprehendi haud pauca in iis esse
laude non indigna, pleraque autem mataeologiæ Fa-
naticæ fundamentis esse superstructa. Ad priorem
classem sequentia refero: Part. IV. p. 396. negare vide-
tur